

sui quasi oblitus, corripuit blasphemantem, quo nimirum a tam immani peccato absterreret. Qualem enim oportet esse illius calamitatem, cui succurrere laborat is, qui ipse mergi incipit, et inter fluctus cum morte dimicat? Sed nimirum videbat bonus latro, se quidem mergi ad mortem temporalem, socium vero ad æternam; propterea nitebatur etiam in maximis suis angustiis socium liberare.

Requirit a magistratu officii ratio et obligatio. Debet enim ipse tum maxime exerere gladium in sontes, quando Dei honor offenditur. Hinc Joachim regi prædicatur a Deo per Jeremiam, neminem posterorum ejus sessurum in throno ejus; ipsius etiam cadaver projiciendum insepultum, eo quod non sciderit vestimenta sua, cum vidit coram se comburi librum propheticum, Jerem. XXXVI. Surget aliquando Nabuchodonosor rex Babylonis et accusabit ejusmodi magistratum: quia ipse postquam tres pueros a Deo suo in fornace ignis conservatos esse vidit; ejusmodi decretum fecit, *Ut omnis populus, tribus et lingua quæcumque locuta fuerit blasphemiam contra Deum Sidrach, Misach et Abdenago, dispereat et domus ejus vastetur*, Dan. III. Non jussit talem blasphemum includi ergastulo, vinciri pedibus, vel mulctari pecunia; sed occidi et vastari ejus domum. Quid ergo facere convenit hac in re magistratui christiano? Utinam cordi suo imprimeret quod Sanctus Chrysostomus dicebat: *In injuriis propriis patientem esse, laudabile est: injurias autem Dei patienter sustinere, nimis est impium*. Hoc est æquissimum, parum tamen usitatum. Cum nos formicæ maledicimur, aut probro aliquo impetitur, omnia volumus invertere et totam substantiam nostram in ultionem maledici ponere. At cum Deus noster maledicatur, nemo est qui se moveat. Non ita Dominus noster, qui in hodierno evangelio, cum vocaretur Samaritanus et dæmoniacus, ad prius nihil respondit, quia personam ejus tangebatur; sed ad posterius, quia insinuabat doctrinam ejus diabolicam esse, quod vergebat in Dei injuriam, ut advertit S. Chrysost. ho. XLV. in Joan. Sic Moyses in propriis injuriis ferendis mitissimus erat, Num. XII. in Dei injurias severissimus. Semel triginta millia, Exodi XXXII. semel viginti quatuor millia hominum, Num. XXV. ob Dei injuriam occidit.

Quod si igitur totus mundus conspirat et armatur et conqueritur, cur nostra hac ætate tot mala nos apprehendant et tot calamitates e cælo in capita nostra decendant? Nos ipsi projicimus quotidie innumeros ad cælum horrendarum blasphemiarum lapides, et quid mirum, si iidem in nos recidant, et omnes contra nos crea-

turæ pugnant? Verissimum enim est illud Sapientiæ V. *Pugnabit cum illo (Deo) orbis terrarum contra insensatos*. Et similiter illud apostoli ad Galat. VI. *Nolite errare, Deus non irridetur. Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet*. Nos perpetuo seminamus blasphemiarum lapides, et jugiter tota die blasphematur inter nos Dei nomen. Quid mirum si metamus lapides, famis, belli, spoliationum, etc. Certe in authent. tit. Ut non luxurietur, coll. VI. ait Justinianus imp. ob blasphemias mitti fames, pestilentias et terræ motus. Cur mordemus instar canum lapides in nos projectos, et non potius linguas nostras, quæ illos in nos projiciunt?

## CONCIO IX.

## DOCUMENTA.

I. Peccata fugienda. — II. Contemnendæ mundi obrectationes. — III. Non captanda vana gloria. — IV. Sermo Christi servandus. — V. Vitandum mendacium. — VI. In die redemptionis nostræ exultandum. — VII. Nemo appetendus lingua maledica.

## THEMA.

*Si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in æternum*. Joan. VIII.

Solent fere hoc tempore prodire ad labores suos apes, et passim circumvolare hortos ac colligere mel e floribus ad conficiendum favum. Harum exemplo nos qui speramus nos brevi comesturos paschalem illum favum, quem post suam resurrectionem comedit Christus cum discipulis suis, nil aliud significantem, quam dulcedinem et lætitiæ resurrectionis nostræ; si hunc favum gustare volumus, prius eum conficere et comparare nos debemus. Quare cum apiculis illis ad laborem nos accingemus, et imprimis in hodierno evangelii hortulo nonnihil circumvolabimus, atque ex ejus sententiarum floribus, competentem nobis doctrinæ succum extrahemus.

Apes noxios flores fugiunt, salutare amant et delibant. Pari modo in hodierno evangelio discimus alia fugere, alia vero prosequi.

I. Discimus odisse peccata, fugere et abjicere; siquidem Christus, qui cæteras humanæ naturæ miserias in se suscepit, famem, sitim, frigus, æstum, tristitiam, defatigationem, paupertatem, contemptum, dolores, opprobria, mortem; solum peccatum noluit suscipere, quia nimirum abominabile est coram Deo, et summo bono repugnans. Insipientes ergo sunt homines, qui ut

mala pœnæ, paupertatem, contemptum, pudorem, laborem fugiant, eligunt mala culpæ vel admittere, vel admissa in dorso gerere, ac veluti amantes ad fugiendum modicum malum, in puteos insiliunt, aquis se præfocant, aut laqueo gulam frangunt; cum contra Christus maluerit in manus hostium suorum acerbissimorum venire et gravissimum crucis onus in se tollere, quam servituti peccati se subicere, ejusque jugo dorsum suum gravare. Martes fera exigua de genere mustelarum usque eo abhorret a sordibus, ut si rediens ad antrum suum, inquinatum illud videat, refugiat intrare, et potius capi se patiatur a venatoribus, qui proinde hac arte eam intercipiunt. Ita sapiebat Susanna illa quæ ad peccatum sollicitata dicebat: *Melius est mihi absque opere (peccato) incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini*, Daniel, XIII. Quin et Democles gentilis puer in balneo ut stuprum Demetrii regis evaderet in aquam ferventem insiliit, adeoque mori quam pollui maluit, Plutarch. in vita Demetrii. Quocirca fugienda et abjicienda sunt peccata plusquam omnia mala, et si omnia alia in nobis toleremus, solum peccatum exterminemus, et idcirco sedulo ac sæpius everramus domum conscientiæ nostræ; percurramus omnes ejus angulos, interrogemus omnes sensus et vires nostras, ac dicamus: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Sic Deus omnia et singula opera sua ad trutinam revocabat, et quodammodo examinabat, ut ea bona esse comprobaret et ab omni peccati labe assereret: *Vidit Deus quod esset bonum, etc.* Imprimis vero hoc examen instituendum priusquam ad Christi communionem accedimus. Proposuit Christus innocentiae suæ contestationem, antequam ad passionem pergeret, ut mundo comprobaret se hostiam esse sine macula, qualis a Deo requirebatur in lege veteri, pro humano genere immolandam: ita nos ad mensam Christi accessuri, prius ipsi nos probemus tam nobis quam proximis per pœnitentiam et confessionem factam in Ecclesia, ut videant omnes, quantum fieri potest, nos jam emundatos ab omni peccati labe accedere ad Christum. Si enim Joseph a carcere eductus, non prius admissus fuit ad Pharaonem, quam attonsis capillis et exutis squalidis vestibus honeste indueretur, Genes. XLI. quanto magis decet sine peccati squalore apparere coram summo Deo?

II. Discimus contemnere et nihil facere mundi obrectationes, convicia et ludibria, quando bene nobis consci rebus honestis et piis operam damus; siquidem Christus a Judæis per convicium vocatus Samaritanus et dæmoniacus, primum surda aure pertransiit, alterum non reges-

sit in calumniatores, cum jure posset; denique a cepto pietatis sermone nequaquam destitit propter obrectatores, sed perrexit dare salutis monita. Qua in re si unquam alias, hoc maxime sacro tempore Christum imitari decet. Nunc enim quia luctus noster publicus est, et ob publicam causam institutus est, pœnitentiæ lacrymis, vigiliis, jejuniis, aliisque piis operibus fræna sunt laxanda, nec quidquam curandum, quid mundus oggannat; quia nunc de salute et redemptione nostra, necnon de morte Filii Dei et Domini nostri agitur. Prodiderunt nunc affectum et pietatem suam sanctæ illæ mulieres, quæ occulte prius crediderant in Christum, postea exeunti ad montem Calvariæ occurrebant publice, et non attento Judæorum furore plangebant et lamentabantur eum, Luc. XXIII. Prodiit tunc Joseph ab Arimathia, prius occultus Jesu discipulus ob metum Judæorum, et accessit ad Pilatum et petiit corpus Jesu, Joan. XIX. Marci XV. Similiter et Nicodemus, qui noctu venerat ad Jesum, nunc palam et interdiu juvat condire et sepelire Jesum, Joan. XVIII. Exeruit se tunc bonus latro qui tametsi ipse in supplicio constitutus, non potuit non contestari Christi innocentiam, eique condolere, obrectatores vero et persecutores ejus arguere, nihil veritus Judæos, quos hoc facto offendebat. Imo nec muta quidem elementa se tunc continuerunt, quin publice ostenderent suam compassionem erga communem creatorem, indignationem vero erga ejus interfectores. Atque hæc causa est, cur nunc passim Christiani suam pietatem variis operibus publice ostendant. Pontifex, episcopi et nonnullis in locis reges pauperibus abluunt pedes, tergunt et osculantur; alii in processionibus publicis, induti saccis, gestant ponderosas cruces, aut flagellis se corripunt; alii ad memoriam fellis Christi, itidem fel degustant; alii hospitalia adeunt et ægrotis ministrant; alii pauperes ad mensam suam invitant, iisque sedulo inserviunt; alii passim in plateis ante Christi passi imagines se prosternunt et preces fundunt; alii a tempore mortis Christi omni cibo et potu abstinent usque ad tempus resurrectionis; alii totum id tempus precibus et templo dant.

III. Discimus ex operibus nostris bonis non quærere vel captare gloriam humanam, siquidem ait Christus: *Ego gloriam meam non quæro, est qui quærat*. Et paulo post: *Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est: est Pater meus, qui glorificat me*. Quare hoc sacro tempore sic lucere lux nostra debet coram hominibus, ut videant opera nostra bona, interim tamen eo fine et intentione, ut non nos glorificent, sed Patrem nostrum qui

in cœlis est. Nam primo si quæramus gloriam nostram apud homines, gloria nostra *nihil*, ait Dominus. Primo, quia nihil solidi est, ficta et phantastica est; sæpe a tergo irridetur, qui in faciem laudatur. Secundo, quia mox evanescit et sæpe desinit in contemptum. Tertio, quia ostendit hominem inanem et vacuum virtutibus. Quarto, quia inanem et vacuum virtutibus ac meritis. Quinto, quia gloria hominum mendax; sæpe enim laudatur quod vituperio potius dignum est.

Secundo, si non quæramus gloriam nostram, est qui quærat, Pater scilicet noster in cœlo, qui nos glorificabit in illa die et coram angelis suis. Quis autem malit acceptare gloriam ab infantibus et parvulis, quam a principibus personis? Quis afficitur laude ab infantibus data? Et quis non maximopere afficitur, cum vel ab uno tereno principe laudatur? Quid ergo tandem erit laudari ab ipso Deo coram toto mundo et in cœlo; hanc tu commutabis cum laude parvulorum?

Tertio, si non quæramus gloriam nostram, Deo similes erimus, qui uti non eget gloria hominum, ita nec eam quærit. Cæterum uti nihilominus gloria resultat in Deum ex operibus ejus, ita et homini bene operanti, non quærenti gloriam suam hoc ipso accedit gloria. Quare ne in vacuum laboremus his diebus, adeoque nostras mercedes mittamus in sæculum pertusum, ut Aggæus, cap. I. dixit, caveamus vanam gloriam.

IV. Discimus servare sermonem Dei, quia Dominus ait: *Amen, amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum.* Servatur autem sermo Christi primo, cum non solum aure auditur, sed etiam mente retinetur. Si enim instar perfusæ papyri simus, in qua mox diffluit atramentum; vel instar vasis contracti, quod non retinet balsamum (juxta id Ecclesiastici XXI. *Cor fatui quasi vas contractum, et omnem sapientiam non retinebit*) non evademus mortem illam de qua hic loquitur Christus. Multa bona audiemus his diebus a confessariis et concionatoribus, multa bona videbimus: sed si ea post pascha statim obliviscamur, quid juvabit? Et quam multi his diebus incalescunt bonis desideriiis et propositis, qui postea mox refrigescunt, non aliter ac qui e balneo egressi sunt?

Secundo, cum non solum auditur et creditur, sed opere etiam impletur, quo modo pharmacum a medico scriptum non in sacco circumferri debet, sed assumi et diæta observari. Confessarii sunt animarum medici, quorum præscripta et consilia nisi observent ægri, non mirentur, si mortem incurrant æternam. Totum hoc com-

mendat etiam nobis apostolus ad Hebræos II. cum ait: *Abundantius oportet observare nos ea quæ audivimus, ne forte pereffluamus;* (modo scilicet supradicto uti charta perflua, aut vas fractum) *si enim qui per angelos dictus est sermo, factus est firmus: et omnis prævaricatio et inobedientia accipit justam mercedis retributionem: quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem?* q. d. Si prævaricatores legis veteris, per angelos tantum datæ, adeo puniti sunt, ut cum adorarunt vitulum, Exod. XXXII. cum fornicati sunt cum filiabus Moab, Numer. XXV. cum sabbatum violarunt, Numer. XV. etc. quanto gravius puniatur nos Christiani, si negligamus salutem, quam non angeli sed Christus ipse nobis annuntiavit?

V. Discimus vitare mendacium, præsertim in rebus spiritualibus, siquidem id in Judæis taxat Christus, et non vult nos quidpiam habere commune cum mendacio. Judæi mentiebantur de Christo, quod esset Samaritanus et dæmonium haberet; mentiebantur de Deo suo, quia dicebant esse Patrem suum, quem tamen non noverant. Hos imitantur etiam in ipsa confessione primo, qui cum Adamo sua peccata excusare et culpam Deo impingere nituntur, quasi Deus impossibilia nobis præceperit, vel gratiam sufficientem aliaque necessaria negarit, ut qui dicunt se non posse abstinere a juramentis, execrationibus, ebrietate, etc.

Secundo, qui asserunt se peccatis carere, adeoque dicunt aut putant se habere Deum Patrem, cum tamen non norint illum. Ait enim S. Joannes, epist. I. cap. I. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* Et mox: *Si dixerimus quoniam non peccavimus, mendacem facimus eum, et verbum ejus non est in nobis.* Ipsi autem nos seducimus, quia occultamus hostem nostrum, qui nos tandem jugulabit.

Tertio, qui asserunt se dolere de peccatis, cum interim de dolore nihil cogitent.

Quarto, qui promittunt confessariis emendationem, seriam tamen sibi non proponunt; sed post confessionem mox redeunt in antiquam silvam.

Quinto, quia accusant se de iis, quæ non fecerunt, ut qui per omnia præcepta et vitia capitalia, quasi ex tabella recitant semper eodem modo peccata sua.

Sexto, qui negant ea quæ fecerunt.

Isti bene perpendant, quid evenerit Ananiæ et Sapphiræ, Actor. V. non enim mentiuntur hominibus, sed Deo; et sicut Petrus habuit claves ad claudendum et aperiendum illis cælum, ita habere confessarios suos.

VI. Discimus exultare ad videndum redemptionis nostræ diem, sicut et Abraham exultavit ad videndum illum. Abraham gavisus est, quando pro filio jamjam immolando, arietem virgulto adhærentem immolavit, et tunc simul agnovit pro humano genere immolandum esse Dei Filium cruci adhærentem. Ita et nos cum gaudio diem illum expectemus, primo, quia in eo pro nobis Christus immolatus est.

Secundo, quia in eo submergemus Ægyptios in mari rubro, id est, peccata nostra in sanguine Christi, et cum Moyse canamus: *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est: equum et ascensorem dejecit in mare.*

Tertio, quia tunc intrabimus ad regem gloriæ, imo in domum nostram eum deducemus, et cum eo dulciter conversabimur.

Deinde exultemus, id est, a terra et terrenis negotiis ac curis mentem nostram erigamus ad videndum et considerandum passionis Christi spectaculum. Videbimus ibi primo, verum Isaac, id est, unicum et dilectum Dei Filium duci ad immolandum a Patre suo cœlesti. Videbimus ibi ligna holocausti de dorso asini transferri in dorsum Isaac, id est, peccata generis humani de dorso nostro in dorsum Filii Dei. Videbimus ibi Isaac onustum fasce lignorum, id est, Christum crucem sibi bajulantem ad suummet sacrificium. Videbimus ibi in manu Patris ignem et gladium, id est, amorem erga genus humanum juxta id: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret;* et justitiam, qua nostra peccata in Filio puniet. Videbimus ibi a Patre alligari Filium, id est, tradi ligandum et cruciandum ac derelinqui in cruciatibus vociferantem: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me.* Videbimus ibi Filium poni super struem lignorum compositam a Patre, id est, jactari super crucem et affigi illi. Videbimus ibi servatum quidem a gladio Isaac, ejus tamen loco arietem cornibus hærentem inter vepres immolatum, id est, Christi divinitatem quidem salvam esse et incolumem; humanitatem tamen ejus sub spinea corona cornibus crucis hærentem mactari et immolari. Videbimus ibi die tertio Abrahamum cum filio vivo et incolumi ad propria redeuntem, id est, Patrem cœlestem restituentem nobis die tertio Filium redivivum. Hæc sunt quæ videre et meditari hoc tempore convenit. Certe S. Gregorius Nyssenus, in Concilio Niceno II. citatus, testatur se sine lacrymis transire non potuisse imaginem, quæ Isaaci immolationem ad vivum representabat; quanto magis nos lacrymari et optimis cogitationibus tangi oportet, cum non pictam et figuratam, sed veram et vivam Christi

immolationem cernimus, quam hodie representare nobis incipit Ecclesia canens: *Vexilla regis prodeunt, etc.*

VII. Discimus neminem appetere contumeliis et convitiis, vel etiam detractionibus. Audimus enim Dominum dicentem: *Est qui quærat et judicet;* quærat scilicet honorem meum, quem per contumeliam mihi abstulistis. Improbis erat Malchus, et tamen aurem ei abscissam quæsit et restituit Dominus; quanto magis requiret honorem servorum suorum a detractoribus et restituit iisdem? Quid enim lingua maledica nisi gladius acutus, qui truncat aurem, id est, famam et honorem proximo? Cæterum est, qui requirat honorem innocentum, Deus. His enim ait Luc. XXI. *Morte afficient ex vobis, et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum; et capillus de capite vestro non peribit:* q. d. Si quis vel unum capillum de capite vestro sustulerit, ego eum requiram de manu ejus, et vobis restituam. Quare tametsi læsus non quærit honorem suum, est qui quærat et judicet Deus.

Atque hi sunt flores, e quibus si spiritualem et succum extraxerimus, et in cor nostrum intulerimus, poterimus non difficile conficere favum illum, qui impleat nos melle lætitiæ spiritualis, hic per gratiam et ibi per gloriam.

## CONCIO X.

## MYSTERIA.

- I. Cur eam thesin proposuit Christus: Quis ex vobis, etc. — II. An potuerit peccare Christus? Non. — III. Cur aiunt Dominum Samaritanum et dæmoniacum? — IV. Cur secundum, non primum refellit Christus? — V. Quomodo propria Christi gloria nihil est? — VI. Quomodo Judæi non cognoverunt Deum? — VII. Quisnam ille dies Christi, quem desideravit Abraham? — VIII. Cur ait Christus: Antequam Abraham fieret, etc. — IX. Cur lapidare volunt Christum? — X. Quomodo se abscondit Christus?

## THEMA.

*Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Joann. VIII.

Summus Hebræorum sacerdos duo ista nomina, *Urim et Thummim*, id est, illuminationem et integritatem (quæ noster interpres vertit, *doctrinam et veritatem*, ad sensum magis quam ad verba attendens, ut docet Corn. a Lapide, Exod. XXVIII.) in pectore suo gerebat, rationali inserta. Summum autem sacerdotem typum fuisse Christi Domini, nemo est qui nesciat. Hic ergo in hodierno evangelio ostendit nobis in pectore

duas illas voces, Urim et Thummim, illuminationem et integritatem. Integritatem vitæ, cum ait: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Illuminationem vero doctrinæ, cum subdit: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Duo enim hæc requiri in doctore possunt; ut vitæ inculpata sit, et ut vera doceat; quibus positis sequitur non doctorum, sed auditorum perversitatem in causa esse, si non audiant doctorem. Utrumque in se demonstrat Christus; (neque enim veraciter horum aliquid in ipso carpere poterant Judæi) ac proinde recte concludit: *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis*, hoc est, Dei filii cultores et amici non estis. Hoc fulmen, auditores, ne etiam in vos detonet, satagite ut verba Christi sedulo audiatis, quia doctoris integerrimi, simulque veracissimi sunt.

I. Cur hanc thesin proponit Dominus: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Respondeo primo. Ut ostendat Christus non habere Judæos, cur ipsius doctrinam reproberent, ut quem vel unius peccati nequeant redarguere.

Secundo, ut ostendat toti mundo se non ob proprium aliquid scelus, sed innocenter et pro aliena culpa passurum et crucifigendum esse. Maximi interera sciri hoc a mundo, qui in ipsum credere debebat velut redemptorem suum. Quam etiam ob causam redarguere voluit servum pontificis, cum ob responsum datum ab eo cæsus esset: *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo, etc.* Joan. XVIII. In hujus rei figuram agnus olim in paschate immolandus debebat esse absque macula, Exod. XII.

Tertio, ad instructionem concionatorum et sacerdotum, ut studeant præ aliis immunes esse a peccatis, ne audiant illud: *Medice, cura te ipsum*: et illud: *Verba tua sunt verba Dei, sed facta tua sunt facta diaboli.* S. Egidius audiens aliquando dominum vineæ operarios suos objurgantem Italica lingua: « Fate fate, et non parlate. Audite, inquit, concionatores, quid iste vir dicat: Facessant verba et manus operi admoveate. Concionamini opere potius quam verbo. Si enim totam terram possideres, nec tamen eam coleres, quid fructus ex ea perciperes? Certe nihil. Sic pariter scientia legis divinæ et ejuslibet rei, licet eximia, nihil tibi conferret, si eam per opera non excolas. »

II. Potuitne saltem peccare Christus? Respondeo non potuisse triplici ex causa. Prima est quia natura ejus humana Personæ divinæ unita et ab ea sustentata, quodque inde etiam sequitur necessario directa fuit, tamquam inferior potentia a superiore ut ne labi posset. Cum enim

peccare, non sit naturæ sed personæ, in Christo autem persona tantum divina, non humana fuerit, necessario dicendum est, non potuisse eum peccare, nisi dicere velimus, peccare posse Deum, quod insanissimum est. Natura quidem humana ex se peccato obnoxia est, sed assumpta a Persona divina, peccato subjacere non potuit, quod declarans Origenes præclara similitudine, I. periar. cap. VI. ait: « Ferri metallum natura sua capax est caloris et frigoris, si tamen semper intra fornacem ignis contineatur, dici potest incapax frigoris. Sic beatissima Christi anima nec convertibilis nec mutabilis dici potest, quæ inconvertibilitatem ex Dei verbis virtute indesinenter ignita possedit. »

Secunda, quia Christi anima semper Deum vidit, adeoque semper beata fuit ab ipsa sua conceptione, ut docet Sanctus Augustinus, lib. IV. de consensu evangel. c. X. Alcuinus, libro II. de Trinitate cap. XI. et theologi omnes. Beati vero peccare nequeunt, quia voluntas videns Deum a divina regula clare perspecta subtrahere se non potest: proinde nec velle aliquid quod non est secundum Deum.

Tertia, quia anima Christi supernaturalibus gratiæ auxiliis et intima Spiritus sancti assistentia contra omnia machinamenta dæmonis erat communita, ut labi non posset, quemadmodum et ii qui in gratia confirmati sunt. Nos si modo aliquo Christum in hoc imitari volumus, ut saltem sine peccatis vivamus, primo adhæreamus Deo firmiter, innitatur super dilectum nostrum, nam: *Qui adhæret Domino, unus spiritus est*, ait apostolus, I. Corinth. VI. Adhærebimus autem, si nil aliud velimus, quam quod ipse vult. Deinde si versemur continuo ante Deum, quasi eum oculis cernamus, inspicientem omnes actus nostros. Denique si virtutum præsiis contra omnes tentationum incursus nos munire studeamus.

III. Cur dicunt eum Samaritanum esse et dæmonium habere? Respondetur: Samaritanum vocant, quod non videretur ipsas exacte legem servare, (quod erat Samaritanorum) neque traditiones seniorum, quod præcepta legalia pro adiaphoris sive indifferentibus haberet, quod sabbati violationem flocci penderet, ut ipsis videbatur. Ita Euthymius hic et Elias Cretensis, oratione IV.

Dæmoniacum vero dicunt, secundum eosdem, quod Dei honorem in seipsum derivaret, adeoque Deo gloriam raperet (quod erat dæmonum molimen) ut ipsi existimabant. Secundum Origenem, quod putarent admiranda ejus opera non nisi ope dæmonum ab ipso patrari.

Cæterum hæc Judæi non simpliciter asserunt, sed cum pertinacia et defensione erroris: *Nonne bene dicimus nos, etc.* q. d. Nonne verum est, quod sæpius tibi objecimus te legem violare et dæmonium habere? Ergo clavum pravæ affectionis suæ novo ictu intrudunt, dum peccatum suum defendunt, quod extremæ malitiæ signum est. Qua de re Sanctus Augustinus, in Comment. super Psalm. LXVIII ait: « Si videris hominem fecisse iniquitatem, mersus est in puteum. Quando autem illi dixeris iniquitatem ipsius et responderit: Peccavi, fateor, non clausit super eum puteus os suum. Si autem dixerit: Quid enim mali feci, clausit super eum puteus os suum; qua eratur, non habet, etc. » Oremus ergo cum Davide: *Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum*, Psal. LXVIII.

IV. Cur secundum tantum, non primum refellit Dominus? Resp. primo, quia in eo quod Samaritanus diceretur, divina gloria non lædebatur: in altera vero quod dæmonium haberet, maxime lædebatur; quando Dei opera (Christi miracula, dæmoni adscribebantur.

Secundo, quia prior contumelia levior, posterior erat gravior. Nolebat autem Dominus in levibus contumeliis refellendis immorari, ut doceret tales etiam a nobis contemnendas esse, nec oleum flammæ adjiciendum ut incendium fiat, nisi aliud Dei gloria et proximi correctio postulet.

Tertio mystice, secundum Origenem, Augustinum, Gregorium, Bedam, quia Samaritanus significat custodem. Christus autem revera erat custos hominum et Samaritanus ille, qui homini a latronibus vulnerato succurrit et medelam adhibuit, Luc. X.

V. Quomodo gloriam suam propriam nihil esse ait Christus: *Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est.* Respondeo Christum velle dicere gloriam suam nihil esse, si inaniter se jactet ut vanam gloriam aucupetur, quod sentiebant cæci Judæi. Gloria enim inanis nihil est; rursus nihil esse, id est, illegitimam et invalidam opinionem hominum, qui fidem non habent jactandi seipsum aut testandi de seipso. Hoc sensu dixit Joan. V. *Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum, hoc est legitimum et validum apud vos.*

VI. Quomodo Judæi dicuntur non cognovisse Deum? Respond. primo, eo quod illum nunquam viderunt; Christus autem vidit eum, non modo secundum divinitatem, sed etiam secundum animam suam. Secundo, non cognovisse practice, quia legem ejus non observant. Sic

dicuntur filii Heli *nescientes Dominum*, I. Reg. II. Tertio, non cognovisse, quia non intellexerunt ejus majestatem, sublimitatem, bonitatem, justitiam, præmia, supplicia. Quarto, non cognovisse, quia non crediderunt ejus testimonio, quod de Filio suo tulerat: *Hic est Filius meus dilectus*; quod a Joanne Baptista discere poterant.

VII. Quinam ille dies, quem videre gestiit Abraham et quo viso gavisus est? Resp. hoc incertum esse. Verisimilius est diem illum esse tempus adventus Christi. Hoc enim dum in spiritu prævidit, exultavit præ gaudio, maximopere id desiderans. Reipsa etiam vidit, positus in limbo; tametsi oculis mentis tantum, non corporis, indeque gavisus est. Speciatim vero dies ab Abrahamo desiderata et in spiritu prævisa est secundum aliquos, dies incarnationis Christi, prævisa ab Abrahamo, sive cum ei filius, in cujus semine (Christo) benedicendæ essent omnes gentes, Gen. XXII. promissus, et de eo semen sicut stellæ cæli, secundum D. Irenæum, lib. III. c. XV. sive quando servum jurantem sibi per Deum cæli, sub femore suo manum ponere præcepit ut vult D. Bern. ser. VI. in vig. nativ. sive quando tres viros vidit et unum adoravit, ex quo mysterium Trinitatis et Filii incarnationem cognovit, ut existimat D. Greg. hom. XVIII. et alii.

Secundum alios est dies passionis Domini quam præcognovit cum filium immolare paravit, et pro eo arietem immolavit. Ita divus Chrysostomus, ho. LIV. Divus Ambrosius, libro I. de Abraham, capit. VIII. D. Prosper. lib. I. prædict. c. XVII. pulchre id illustrat. « Diem, inquit, passionis Filii Dei vidit Abraham in suo filio figuratam; quod unico filio non pepercit; quod veluti ad aram crucis triduo cum insonti victima convolvavit; quod patiens ac sine voce similis agno coram tondente se filius patri, ut percuteret, pia colla præbuit; quod aries cornibus in vepre detentus, spinis coronatum Christum ostendens, pro Isaac immolandus apparuit; quod ideo Isaac immolatus non est, quia resurrectio Filio Dei reservata est. Hæc omnia credens Abraham videre meruit per figuram. Hæc Prosp. Juxta quam sententiam Abraham gavisus est, non ob dolores et mortem Christi ut sic, sed ob fructum passionis et mortis ejus, qui est mundi redemptio.

Secundum alios est dies resurrectionis Christi, ut vult Turrianus, l. VIII. constit. Clem. c. XII. Hæc vero ostensa Abrahæ, cum Isaac morti jam deputatus, repente mutato decreto, vivus permansit, et ita quodammodo a morte surrexit.